



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1658**

§. 200. Post hæc autem rogabat Pilatum Ioseph ab Arimathea, eo quod  
esset discipulus Iesu. v. 38.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

§. 200, *Post hæc autem rogabat Pilatum Ioseph ab Arimathea, eo quod esset discipulus Iesu. v. 38.*

Abolutis omnibus, quæ in Christo impij facere potuerunt & voluerunt, iterum reddit se Dominus discipulis suis. Initium fecerunt Ioseph & Nicodemus à corpore Iesu. Ille illud postulauit sibi dari à Pilato, hic de Cruce posuit & inuoluit, utrumque secuti sunt alij. Vnde satis apparet quæ etiam nobiles habuerit discipulos Dominus, & quæ hi à morte eius sensum facti sint generosi, audentes prodere post mortem, quod profiteri non audebant ipso viuente,

**O** Passio Domini N. quam tu admirabile & potens es instrumentum à mouenda corda & roborandas manus pusillanimum & infirmorum hominum! Deficit me sermo, nec cogitare sufficio. Iosephum istum facilius possum laudare, & eum cum altero Iosepho, qui nutritus fuit Domini eiusdem comparare, quorum vnus initia vitæ Christi curauit, alter exitum: vterque sanctus, vterque iustus, Deo gratus, hominibus amabilis, & merite valdè colendus, vnus nobis excepit nascentem, alter recuperavit morientem. Crescat Domine Iesu laus & gloria horum duorum tibi dilectorum, iam per Carmelitanum ordinem tuus ille Nutritus valde honoratur, honoretur etiam paulatim plurimum alter tui corporis recuperator. Tu enim glorificantes te solos glorificare & honorantes honorare potes.

§. 201, *Discipulus Iesu occultus propter metum Iudeorum. v. 38.*

Magna certe debuit fuisse Iudeorum violentia, quæ tantum virum, nempe iustum, & centurionem Romanis militansem & ideo valde potentem, potuit terrere, ut occultus esse cogeretur Christianus, pauca quæ ab Evangelistis descripta tenemus vestigia violentiæ Iudaicæ ostendunt, quid præsumere nos oporteat de his quæ latent. Huic tamen mari vel oceano furenti se Dominus noster obiecit & contra se & in se grassari permisit.

**O** Ioseph nobilis centurio bene tui nominis omen impleuisti. Tu enim sonas Accrescens, ecce iam accrescis dum ex occulto discipulo factus es manifestus, dum præis exemplo magnanimitatis his qui pauido sunt corde. mihiquoque Domine indigno seruo tuo secundum multitudinem miseratio;